

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

**Terentivs,|| A` M. Antonio Mvreto|| locis prope  
innumerabilibus|| emendatus.||**

**Terentius Afer, Publius**

**Venetiis, 1558 [erschienen] 1559**

Scena Prima.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-723936](#)

## ACTVS QVARTI SCENA PRIMA.

DEMIPHO, CHREMES.

De. Vid? qua profectus caufsa hinc es Lemnum  
q Chremes?

Adduxtin' tecum filiam? ch. non. De. quid  
ita non?

ch. Postquam uidet me eius mater hic esse diutius,  
simul autem non manebat ætas uirginis  
Meam neglegentiam: ipsam cum omni familia ad  
Me profectam esse aiebant. De. quid illic tam diu  
Quæso igitur commorabare, ubi id audiueras?

ch. Pol me detinuit morbus. D. unde? aut qui? C. rogas?  
Senectus ipsa est morbus: sed uenisse eas  
Saluas audiui ex nauta, qui illas uexerat.

De. Quid gnato obtigerit me absente, audistin' chreme?

ch. Quod quidem me factum consiliij incertum facit:

Nam hanc conditionem si cui tulero extraneo,  
Quo pacto, aut unde mihi sit, dicendum ordine est.  
Te mihi fidelem esse æque, atque egomet sum mihi,  
Scibam: ille si me alienus affinem uolet,  
Tacebit, dum intercedet familiaritas:  
Sin spreuerit me; plus, quam opus est scito, sciet:  
Vereorq; ne uxor aliquà hoc resciscat mea.  
Quod si fit, ut me excutiam, atque egrediar domo,  
Id restat: nam ego meorum solus sum metus.

De. Scio ita esse, & istæc mihi res solicitudini est:

Neque defec scar unquam adeo experirier,  
Donec tibi id, quod pollicitus sum, effecero.

ACTVS



PHORMIO

ACTVS QVARTI SCENA II.

G E T A.

Ge hominem callidiores uidi neminem,  
Quam Phormionem. uenio ad hominem, illi  
dicerem

Argento opus esse, et id quo pacto fieret:  
vix dum dimidium dixeram, intellexerat:  
Gaudebat: me laudabat: querebat senem:  
Dijis gratias agebat, tempus sibi dari,  
Vbi Phaedriæ se ostenderet nihilo minus  
Amicum esse, quam Antiphoni. hominem ad forum  
Iussi opperiri: eò me esse adducturum senem.  
Sed eccum: quis est ulterior? at at at Phaedriæ  
Pater uenit: quid pertimui autem bellua?  
An quia, quos fallam, pro uno duo sunt mihi dati?  
Commodius esse opinor duplici spe utier.  
Petam hinc, unde à primo institui: is si dat, sat est:  
Si ab hoc nil fiat, tum hunc adoriar hospitem.

ACTVS QVARTI SCENA III.

ANTIPHO, GETA, CHREMES,  
DEMIPHOO.

An. Xpecto, quam mox recipiat se Geta.  
e Sed patruum cum patre uideo astantem. hic  
mihi,  
Quam timeo, aduentus huius quo impellat patrem.  
Ge. Adibo hosce: o noster Chremes. ch. salue Geta.

61

